



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 49. Concilium Cartaginense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI.  
A.C. 535.

§. XLIX.

*Concilium Carthaginense.*

*Ep. Synod.  
to. 4. Conc.  
p. 1755.*

Interea Bonifacio Episcopo Carthaginen-  
si vita functo suffectus est Reparatus,  
qui Concilium Generale Africae secun-  
dum consuetudinem, ob miseram Servi-  
tutem per integrum Sæculum interrump-  
tam, convocavit. Aduere Episcopi du-  
centi septendecim in Basilica Fausti, ubi  
multorum Martyrum Corpora quiesce-  
bant, congregati. Maximas Deo Gra-  
tias ob suam Liberationem inter lacry-  
mas agentes ad reducendam Disciplinam  
animum adjecerunt. Concilio Niceno  
perlecto deliberabant, quomodo Episco-  
pi Arianorum, qui ad Ecclesiam Catho-  
licam regrediebantur, essent recipiendi.  
An Dignitatem Episcopalem essent reten-  
turi, vel tantum ad Communionem lai-  
cam admittendi. Quamvis vero hujus  
Concilii Patres non obscure mentem  
suam aperuissent, illos tanquam Episco-  
pos non esse recipiendos, statuerunt ta-  
men, ut prius S. Sedes consulere-  
tur. In hunc finem duo Episcopi fuere delegati  
Cajus & Petrus, atque unus Diaconus,  
nomine Liberatus, qui jam illo tempore,  
quo causa Monachorum Acemetensium  
movebatur, Romam missus fuerat. His  
commissa est Epistola Synodica ad Joan-  
nem Papam, tunc in vivis agentem, di-  
recta,

recta, in qua præterea quærebatur; an <sup>Sæculum VI.</sup> qui infantes ab Arianis fuissent baptizati <sup>A. C. 535.</sup> ad Ordinem Clericalem evehi possent. Quia etiam Episcoporum aliqui, Vandalis dominantibus, mare trajecerant, rogatur Papa, ne ad suam Communionem illos recipiat, qui exhibitis Episcoporum Africæ litteris probare non poterunt, se ob utilitatem Ecclesiæ missos.

In hoc Concilio Felicianus Episcopus Ruspensis quæsit, quid sibi circa <sup>p. 1785.</sup> Monasterium a S. Fulgentio Antecessore suo fundatum observandum esset. Felix <sup>Concilium</sup> Episcopus Zactaviensis in Numidia No- <sup>Carthagi-</sup> mine Concilii respondit, nihil eorum, <sup>nense.</sup> quæ Bonifacius Archiepiscopus præcepisset, esse mutandum; Monasteriis plenam Libertatem, a Conciliis concessam, esse relinquendam, scilicet, Monachis Episcopum Diocæsanum adeundum, ut Clericos ordinari, & Oratoria consecrari peterent. Monachi sub Regimine suorum Abbatum essent, quo mortuo alium eligerent, nec istam electionem Episcopus sibi reservare posset. Si in Electione discordiæ orirentur, aliorum Abbatum judicio componerentur.

Ejusdem Concilii Carthaginensis Patres ab Imperatore Restitutionem Bonorum & Jurium Ecclesiarum Africæ, quæ Vandali usurpaverant, petierunt. Ob hanc rem Diaconus, cui Nomen Theodorus

Sæculum VI. A. C. 535. ap. Bar. an. 35. p. 234. Nov. 37. Edit. Pitha. p. 691. dorus, Constantinopolim missus ab Imperatore Justiniano obtinuit Legem ad Præfectum Prætorium in Africa directam, in qua præcipit, ut omnes fundi Ecclesiis Africæ erepti restituantur, ea conditione, ut tributa pendantur. Ædes etiam, & Ecclesiarum Cimelia reddantur. Ariani, aut Donatistæ, Conventus agere, Episcopus aut Clericos ordinare, baptizare, quemquam pervertere, aut aliquo munere publico fungi prohibentur. Ecclesiæ Carthaginensi omnia jura a Legibus antecedentibus Ecclesiis Metropolitanis asserta sint salva. Hæc Lex prima Aug. Belisario Consule, id est, anno 535. data.

§. L.

*Leges Ecclesiæ faventes.*

Justinianus eodem anno plures Leges Ecclesiæ utiles condidit. Has omnes Novellæ ejus, ita dictæ, quod promulgato Codice essent posteriores, complectuntur. Sexta de Ordinationibus Episcoporum & Clericorum decernit, id est, hortatur, ut Canones observentur. Præcipit etiam, ut Episcopus uxorem non habeat, nec liberos, & saltem Menses sex inter Clericos vel in Monasterio fuerit. Canones non ignoret, & in sua Ordinatione interrogetur, an juxta Canones vitam suam velit instituire. Id hodie adhuc

§. 4. 7.

§. 8.